



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri Petiti Philosophi & Doctoris Medici, Miscellanearum
Observationum Libri quatuor**

Petit, Pierre

Trajecti ad Rhenum, 1682

Cap. XII. Servii Grammatici supinitas in verbis Plinii citandis, pudendus
ejusdem error de leonum natura.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13245

Persarum (inquit) esse debet gentis unguentum. Illi madent eo, & arcessita commendatione ingluvie natum virus extingunt. Quibus enim corpus ab ingluvie virosum; quanto magis os graveolens ob eandem caussam.

CAPUT XII.

Servii Grammatici *supinitas in verbis Plinii citandas, pudendus ejusdem error de leonum natura.*

Doctus ille Virgilius interpres hunc versum explicans libri 3.

Et juncti currum dominae subiere leones.
fabulam de Hippomene & Atalanta recitat, quæ omnibus nota est. Sed quod ad rem pertinet, de eorum scilicet metamorphosi in leones, ipsius verbis subjungere visum est. *Hippomenes* (inquit) potitus victoria: *in luco matris Deum, amoris impatientia, cum victa concubuit.* Unde irata Dea in leones, eos convertit: & suo currui subjugavit: & præcepit ne secum unquam leones coirent. Nam & Plinius in naturali historia dicit leonem cum parda, & pardum cum leona concubere. Quibus verbis non solum rem falsissimam pro vera affert, sed etiam a Plinio proditam mentitur. Neque enim quisquam aliud ex hoc Servii loco in animum inducat, nisi Plinium putasse a scriptis prodidisse leones inter se non coire. Quod tantum abest, ut illi in mentem venerit, ut contra, leonem comperto ex odore leænæ adulterio prorumpere in ultionem dicat. Ac primum, quod leones ex leone concipientur, expresse initio capituli illius 16. lib. 8. de Leonibus tradit: *Leoni* (inquit) præcipua generositas, tunc cum colla armosque vestiunt juba. Id enim aetate contingit e leone conceptis.

T 2

Quos

Quos vero pardi generavere, semper insigni hoc carent: similis modo feminæ. Ibi clare e leone conceptos ab aliis pardi coitu genitis distinguit. Infra autem paulo post, quod de Leænæ adulterio dictum est, his verbis confirmat: Odore pardi coitum sentit in adultera leo, totaque vi consurgit in pœnam.

C A P U T XIII.

De fictionibus poëtarum, quales esse debeant? Servii de iis monitum. De miserando Laocoontis & filiorum ejus interitu fictio explicatur.

Nullam esse poësim sine fictione, & Socrates apud Platonem in *Phædone* sciscit, & Aristoteles in *Poëtica* confirmat. Sed non quævis fictio fabulave ad poëtæ institutum facit, sed quæ erudita est, & aliquid scitu dignum tegit, aut ad veritatem alludit. Hac fine præscriptoque, fingat sane poëta, & miraculis lectorum mentes detineat. nebulas autem Helicone ne legat, neve in eam amentiam prolabatur, ut putet sibi quidvis fingere & garrire licitum esse, aut pueriles nænias & anilia deliramenta in Musarum sacra-
ria introducere. Nam, ut Horatius in *Arte* ait,

*Aut prodesse volunt, aut delectare poetæ.
inanes igitur fabulas nihil prodesse palam est, sed neque delectare possunt. Quæ enim voluptas ex meris nugis capi potest? nisi forte aniculis & pueris, qui nondum ære lavantur, cordatis quidem viris nihil placere potest, nisi quod aut plane sit verum, aut ad verum ducat. Tales sunt fabulæ sapientum; tales & magnorum poëtarum, quæ ideo figuræ positiæ & simulacra veritatis, quam mendacia dici debent. Hec quo-*